

plangant unigenitum & primogenitum Dominum Jesum, de quo dixerunt,  
 Sanguis ejus super nos & super filios nostros. In David regia tribus acci-  
 pitur, hoc est, Iuda: In Nathan prophetalis ordo describitur: Levi re-  
 fertur ad sacerdotes, ex quo ortum est Sacerdotium: In Semei doctores ac-  
 cipiuntur, ex hac enim tribu magistrorum agmina pullularunt. Reliquas  
 tribus tacuit, que non habent aliquod privilegium dignitatis. In eo autem,  
 quod ait, Omnes tribus reliquæ, tribus & tribus seorsum, & uxores eo-  
 rum seorsum, universas absque nomine comprehendit.

Cum ergo Josiam Israëlitæ adeò planxerint, ecce nos quis  
 à plangendo JESU prohibeat? Ille erat Iosias appellatione & vo-  
 camine; hic est JESUS efficacia & juvamine: Ille erat rex corpora-  
 lis & particularis; hic spiritualis & universalis: Ille fuit pientissi-  
 mus & prudentissimus; hic sanctitas & sapientia ipsa: Ille poterat  
 se subducere proelij periculo, sed noluit; hic paclus est, quia vo-  
 luit. Quemadmodum itaq; ad tempus luetus de illo quotannis,  
 quasi anniversariâ parentatione, fuit repetitus; pariter & potio-  
 ri causa memoria passi Domini quotannis à nobis Christianis  
 recolitur atq; iteratur. Plorent itaq; Reges, quia Rex regum &  
 Dominus dominantium in cruce obiit: Plorent Sacerdotes, quia  
 sacerdos secundum ordinem ἀγελόγητον Melchizedeki expi-  
 ravit: Plorent Duces, quia Dux invictissimus & moderator gen-  
 tium fato concessit: Plorent Mercatores, quia margaritarum  
 pretiosissimarum gemmarius absq; mangonio tumulatus fuit  
 sepulcrali faxo: Plorent divites æquè atq; pauperes, quia omni-  
 um pariter ditissimus atq; pauperrimus mortuus est, pro nobis,  
 quem dives ipse esset, factus egenus: Plorent agricultores, quia in cru-  
 ce velut testa exaruit industrius ille seminator, qui primò exibat  
 diluculò ad seminandum semen suum: plorent homines singuli  
 atq; universi, quia servivit singulis, ut universos lucraretur, pro  
 universis effudit cruentum, ut singulos emundaret. Atq; eò tenen-  
 dit quatergemina parentatio sanctorum Evangelistarum, qui  
 bus dispositionem præbuerunt divini illi Rethores Moyses atq;

A 3

David